

24

Handwritten text in Gothic script, partially obscured by a red and white striped binding strip.



36
D. S.
DE
MANDRAGORA
DISPUTATIO PHILO-
LOGICA,

SUPERIORIBUS INDULGENTIBUS,
PRÆSIDII VERO CONFERENTE

V I R O

EXCELLENTISSIMO CLARISSIMOQUE
DN. M. JACOBO THOMASIO,
PROFESSORE PUBLICO CELEBER-
RIMO &c. PRÆCEPTORE

suo Jugiter colendo,

Ipsis Natalitiis suis, d. nimirum XIX. Ca-
lend. Januar. A. O. R.
M DC LV.

Examine Eruditorum commissa

à

JOHANNES SCHMIDELIO, LIPS:
MAGISTERII CAND.

Nunc recusa & aucta Anno M DC LXIX.
Typis & sumptibus JOHANNIS GEORGI.

D. S.
DE
M. ANDR. A. G. O. R. A.

DISPUTATIO PHILO-

LOGICA

SUPERIORIBUS INDUCIBILIBUS

EXCELLENTISSIMO CLAUSTRARIO

DN. M. JACOBO THOMASIO

PROFESSORE PUBLICO

PHILOSOPHIAE

IN ACADEMIA ALMA M. D. C. C. X. IX.

LEIPZIGI

M. D. C. C. X. IX.

EXAMINIS PUBLICI

JOHANNI SCHMIDELIO, LIPS.

Nono reculae & aucta anno M. D. C. C. X. IX.

Typis & Impensis Johannis Gleditsii





PRÆFAMEN.

O Stentatus non ita pridem ab Agyrta vir-
 runculus Mandragoreus invitavit nos, ut
 horis subsecivis, quid illo de ludibrio
 Scriptores essent commentati, inquirendum
 putaverimus. Quæ quoniam veræ Mandra-
 goræ expositionem aliquam postulant, veniam
 nobis Benivolus Lector dabit speramus, si ve-
 ram pariter ac falsam Mandragoram uni Di-
 sputationi includemus. Capita faciemus tria:
 unum generale de Nomine, id enim sanè com-
 mune habent; specialia duo, alterum de verâ,
 alterum de falsâ Mandragorâ.

CAPUT I.

§. I.

MANDRA-
GORÆ NO-
MEN.

Mandragora gen. fœm. Græcis est ὁ μανδραγόρας. Atque
 sic putes in Varino rescribendum, apud quem exaratum
 est μανδραγόρα. Latini suo more mutaverunt genus, ut
 in charta, margarita, similibus. Videtur tamen Plinio

Mandrago-
ra.

a) Mandragora masculinum esse: quod genus & retinent recentio-
 rum illi, qui nominandi casu mandragoras scribunt.

A 2

§. 2.

a) lib. XXV, c. 13.



§. 2. Hoc certum, *Mandragora* appellationem Latinos Græcis debere: an Græci Orientalibus debeant, quibus ea planta notior fuit, docere nos poterunt lingvarum istarum gnari, citius à nobis assensum impetraturi, quàm qui ad Germanicam revocantes originem à Mann & Tragen dictam volunt, quasi Virigeram seu Hominigeram. Nam ad hoc credendum Goropiana opus est hypothese, quæ nobis nondum potuit persvaderi.

§. 3. Melius ergò ex ipsâ Græciâ vocis hujus accersuntur Nates. Sed hîc sententiarum quadrivium occurrit. Sunt enim, qui ab ἀνδρὸς γυνή, quòd humano foetui similis sit: sunt qui τὸ μανίαν ἀνδράσιν ἐπάγει, quòd insaniam pariat; sunt, qui quasi τῆς μανδράς τὸ γέρας, quia sit speluncarum honos; sunt tandem, qui sic appellatam volunt, ὅτι μανδράς ἀγορά, quia præsentiam suam specus quasi concionatur seu adesse significat. Ajunt enim umbrosis locis felicius eam provenire.

§. 4. Quæ originationes in eò omnes consentiunt, quòd compositum faciunt *Mandragora* vocabulum, quippe tot syllabas emensum. Quis autem non videt, postremam illam leges componendi religiosius, quàm priores servare? Quam idè non dubitamus cum Excellentissimo Dn. D. Rivino b), Præceptore ac Patrono nostro æternum suspiciendo approbare, licet à Becmanno c) primæ posthabitam.

Alraun.

§. 5. Nostris hæc planta est *Alraun*/ vel *Alrun*/ vel, ut Vocabularius Gemma Gemmarum nomine inscriptus exprimit, *Alran*: Nomen procul dubio sortita à sagis istis vetulis, quas Jordanes d) Gothis patrio sermone *Aliorunas* appellatas testatur; quæ vox neq; Germanis nostris eâ notione prorsus inusitata est.

§. 6. Sed variè eam exarari à Scriptoribus observavimus, prout cuiq; ad etymon certum alludere placuit. *Alrunas* scribit Colerus e), & *Aldrunas* Gesnerus f), quasi dicas vetulas sagas vel murmuratrices. Numen enim susurrare nobis sonat; *Hellerunas* Ricardus Argentinus g), & *Hellerunas* idem Gesnerus, h. e. secre-

b) Dictat. ad Columell. carm. de cult. hort. c) Orig. p. m. 647.
d) de reb. Getic. p. m. 723. e) not. ad Tacit. p. 45. f) Mythrid. p. 33. g) de prestig. Demon. c. XI. p. 70.

secretò cum inferis & dæmonibus colloquentes: à quo non longè abest vetus Latino-Theotiscum Glossarium MS. quod Florentiæ in Bibliothecâ Magni Ducis adservatur, è quo Lindenbrogius ad Jornandem h) profert *Necromantia*, *Helliruna*; alii *Halyrummas* vel *Alyrummas* ab opinione sanctitatis, *Haly* enim prisco vocabulo sanctus est; *Adclrunas* Joannes Magnus i) ab artis, quæ est *ἡγορεχvíα* veriùs, famosâ nobilitate, *Runa* enim, ipsò teste, Gothicè artem vel aliquando magiam significat; viros quoq; magos *Adelruner* vel *Alruner* vocat Loccenius k), quasi præcipuâ quadam experienciâ aut omnium rerum scientiâ conspicuos.

§. 7. Verùm quæ sit hujus vocabuli optima vel derivatio vel scriptura, nunc quidem investigare non laboramus: id enim nihil facit ad *Mandragoram*, sed ad *sagas* pertinet: indicandum hoc est potius, ab iis ad plantam nostram hoc vocabulum idèò translatum omnibus videri, quia *mandragora* ad magicas *πεγαυατείας* crebrò adhiberetur.

§. 8. *Belgæ mandragoræ poma Doelappelen vocant, quo nomine & radicem designant, quòd mentem amatorio quodam fascino in amorem pertrahant, & quodammodo incantent, inquit Lemnius l).* Nobis vero similis videtur, sic dici illa poma, quia ipsa fatua sint & insipida, quomodo & inodoras violas *Tolle Beilgen* vocamus.

Doelappelen.

§. 9. Alia etymi est ratio in tertio *Mandragoræ* apud *Dioscoridem* genere, quod *Morion* græcis appellatum *Valerius Cordus* m) non dubitat esse *Mandragoram* *Theophrasti* & *Hessorum* *Dollfraue*. (al *Dollwurk*) n): tribuunt enim ipsi infatuandi quandam facultatem, unde & nomen habet. Nam à vi soporiferâ aliàs *Schlafftraut* & fructus *Schlaffbeer* appellatur o).

§. 10. Latinis præterea, *malus terra* p), vel *terrestris*, item *canina* *malus* q) audit *mandragora*. *Terrestis*, opinor, ob humilitatem, quò modò & *fraga* appellamus *Erdbeer*; *canina* ob persuasionem,

Malus terra &c.

A 3

de

b) p. 155. i) lib. VI. *Histor. Gothic.* c. 24. k) lib. II. *Antiquit. Sveogoth.* c. 14. l) cap. 2. *Herb. Bibl.* m) ad lib. IV. *Diosc.* c. 76. n) *conf. Gesn. in hort. Germ.* f. 282. o) *Myl. hort. philos.* p. 516. p) *Isidor. lib. XVII. Orig.* c. 9. f. 425. q) *Neand. part. I. Phys.* p. 179

de qua cap. III. r) quasi à cane evellenda sit.

ἀντίμηλον.
κίρκαια.

§. II. In Græcis appellationibus est ἀντίμηλον (quod ipsum quoque mali includit significationem) & κίρκαια, Dioscoride s) teste: quam posteriorem & suam fecerunt Latini, *Circeam*, & Neutro genere, ut est apud Plinium, *Circeum*, aut, ut codices habent, *Circejum*, quasi græcum esset κίρκαιον, usurpantes: vel quod *Circeam* invenerit, eaq; usa sit in veneficiis, & quod radix amatoris generatur; vel quod citra promontorium *Circeum* uberius proveniat in *Campaniâ*, verba sunt Mylii in horto Philosophico. t)

ἀνθρωπόμορφον.

§. 12. Pythagoram eam ἀνθρωπόμορφον, h. e. si latinè vertas, *hominiformem*, appellasse passim proditur, notatione minimè dubiâ, quod radix ejus à mediò ad imum bifurcata, trunci humani, brachiis & capite defecti (quare & *semi hominis* epitheto eam Columella v) ornat) formam utcunq; imitatur: nisi velis in super, ut completior sit hominis effigies, fructum ipsi pro capite imputare.

§. 13. Nam qui appellatione ista Pythagoram putant ad sola hujus plantæ mala, quæ sint *Melenzana* Ligurum, figuraq; ovali testiculos referant, respexisse, rectè castigantur à Pierio x). Neq; enim *Melenzana* inter mandragoras referenda sunt: & si hoc voluisset Pythagoras, ὀρχιόμορφον dixisset, non ἀνθρωπόμορφον.

§. 14. Eandem castigationē & Petrus la Seine y) meretur, qui ideò sic dictam putat, quia formam hominis restituat, stigmata enim citra exulcerationem delere, quod Dioscorides fateatur. Scire debuerat, composita hujusmodi à μορφή (quale est & γυναικόμορφον, ταυρόμορφον ac similia) non signare id, quod formam sanet aut restituat, sed quod formam referat. Sic *Anthropomorphitas* hæreticos vocamus, qui Deum faciebant ἀνθρωπόμορφον, quorum error erat, non quod Deo humanæ formæ restitutionem, sed ipsam humanam formam in ejus essentiâ tribuebant.

ἀνδρείκελον

§. 15. Pythagoricæ appellationi geminum est aliud mandragoræ synonymum, quod nescio quibus Autoribus profert. Sixtus

r) §. 53. s) lib. XXV. c. 13. t) p. 514. u) *carm. de cult. hort.* x) lib. LVIII. Hierogl. fol. m. 421. y) *Nepenth. p. 90. 91.*

Sixtus Senensis. z) Ait enim eam *Andricelon* dici ab hominis scilicet seu viri similitudine. Id enim sanè græcum ἀνδρείκελον innuit.

§. 16. Pro quo idem testatur aliàs *Andraclon* reperiri, additâ etymi ratione quod hominem interimat mandragora. Sed hoc commentum alicujus scioli videtur, scripturam *Andriceli* non satis adsequentis. Unde enim deducemus *Andraclon*, ut ista significatio exeat? An à κλάω, frango? Nimis hoc durum; & præterea non patiuntur leges derivandi, ut hinc sit ἀνδρακλειον. Neque tamen quicquam occurrit aliud. Quòd si *Andraclon* est ἀνδροκτόνον, eadem operâ è Patroclo πατροκτόνον efficiemus, quod hæcenus inauditum est.

§. 17. Satis de græcis, latinis, germanicisq; appellationibus. Arabibus Matthiolò a) teste, planta nostra est *Labora* seu *Talbrobach*; Italis *Mandragora*; Hispanis *Mandracola*; Gallis *mandragore* & *Mandegloyre*.

Talbrobach,
&c.

§. 18. Restat Hebræorum vox דודאִים, quam binis locis in sacro codice repertam interpretes pleriq; omnes mandragoram vertunt. Unus est Genes. XXX. ubi commemoratur, quemadmodum hujus plantæ mercede à Rachele noctem mariti communis *Laba* emerit. Alter Cantic. VII. 13. *Mandragora dederunt odorem*. Verùm ingens se hic disputandi campus aperit. Sunt enim qui defendunt *Dudaim* esse mandragoras; sunt contra, qui aliud quidvis; nec desunt, qui ut in re undiq; dubia malunt dicendâ in alteram partem sententiâ prorsus abstinere.

Dudaim.

§. 19. Quorum ἐποχὴν imitari etsi mediocritati ingenio nostri erat convenientissimum; tamen quoniam has theses disputandi animo conscripsimus, alteri dissidentium parti nos adjungemus, ut in ipsa συζητήσει aut adhesionibus aliorum confirmemur, aut docti meliora deponamus errorem.

§. 20. Præferimus autem eam sententiam, quæ propugnat, *Dudaim* esse *mandragoras*. Nam primò communior hæc esse videtur, majoriq; consensu fulciri. Stant pro eâ inter alios *Abenezra*, *Kimchius*, *Onkelos*, LXX. interpretes *Aquila*, *Josephus*,
Lati-

z) lib. V. Bibl. sanct. annot. 109. fol. 400. a) ad lib. IV. Diosc. c. 71. fol. m. 1080.

Latius interpres, recentioribus Fullero, b) Stuckio c) ac Delrio d)idem defendentibus citati. His qui absentiunt, pauciores sunt, varieq; inter se scissi opinionibus: alius enim violam, alius lilium, alius satyrion, alius halicacabum, alius ficum optimam, alius nescio quid incertum substituit.

§. 21. Deinde quæ de Dudaim sacrae Literæ proferunt, non sunt à mandragoris aliena. Reperit eos tempore messis triticeæ Ruben: ubi memineris, hoc in Mesopotamia contigisse, quâ in regione Orientali citius haud dubiè hoc genus, quam in nostris maturescit. Placuerunt Dudaim Racheli: cur placuerint, tacetur. Simplicissimum est, novitate quadam, odorisq; (qui & in Canticò commendatur) & coloris suavitate placuisse. Quibus nominibus & mandragoræ mala commendari capite sequenti planum faciemus. Et hinc è veteribus Augustinum e), è recentioribus Danæum f) habemus consentientes. Nam, quod multis persuasum est, Dudaim ideò appetitos à Rachele, ut eorum usu sterilitatem suam corrigeret, etsi ad mandragoras quoq; hoc quadrare docetur, tamen probandum fuerat prius, hanc vim Racheli fuisse cognitam. Quod ipsum si supponamus, quis credat, eam quæ tam imperiosè antehac liberos poscebat à marito, tot annos hujus medicinæ incuriosam fuisse, donec oblatam fortuitò filius sororis adferret?

§. 22. Deniq; nec Etymologia abnuit. Sive enim ab amore, sive potius (quod certum scribit in Lexicò Forsterus) ab uberum figurâ appellationem habent Dudaim: utrumq; ad mandragoræ mala accommodare licebit.

§. 23. Hæ ergo rationes nobis persvaserunt, ut Hæbræorum Dudaim crederemus esse mândragoras nostras. Plura de מנדאם suppeditabunt Commentat ores in Genesin & Canticum.

§. 24. Restat mandragoræ Homonymia. Significat primò mandragoram veram, naturæ opus; secundò mandragoram falsam, commentum impostorum; tertio, nisi in Hesychio & Varino

b) lib. VI. Miscell. c. 6. c) III. Antiq. corr. 8. d) ad c. VII. Cantic. v. 13. fol. 401. 402. e) lib. XX. contra Eust. c. 56. f) part. II. Phys. Christ. Tract. 3. c. 67.

no menda est, etiam Jupiter dictus fuit *μάνδραγόρας*. Nos à nomine tandem ad rem progrediamur, primumq; de verâ, post etiam de falsâ mandragorâ, ut sumus polliciti, exponamus.

CAPUT II.

§. 25. *Vera Mandragora* notitia è Botanicorum Commentariis nobis promenda est. Scripserunt de eâ Theophrastus g), Dioscorides, h) Plinius, i) Isidorus, k) Bartholomæus Anglicus, l) quem Monachorum Plinium vocant. Nostri & superioris ævi Scriptores brevitatis studio omittimus. E memoratis autem Theophrastus imprimis atq; Dioscorides audiendi sunt.

§. 26. *Tria* mandragoræ genera profert Dioscorides; non nisi *unum* Theophrastus. Dioscoridis hæc sunt: *priora* duo ipsi visa, scæmina & mas; *tertium* alienâ fide acceptum *μώριον*. Jam in eo consentiunt Medici, Theophrasti mandragoram esse neutram è prioribus binis Dioscoridis: habet enim caulem, quem suis negat Dioscorides.

§. 27. Superest ergò tertium illud, quod *μώριον* appellavit Dioscorides, etsi hoc nomen jam ante mandragoræ mari inditum à quibusdam docuerat, nisi ibi pro *μώριον* legas *νώριον*, uti habet codex noster m), (Norion & Rhodiginus n) agnoscit) aut *νόριον*, quod nec Bodæo o) placet, nec recipitur à Matthiolo.

§. 28. Hic fatetur ingenuè, neminem se reperisse, qui sibi Morion illud ostenderet. Itaq; de eo nihil pronunciat: tantùm Hermolaum defendit à Brasavolo & Fuchsio, qui eum reprehenderant, quòd mala, quæ Insubribus *melongena* vocantur, hujus tertix mandragoræ fructûs esse crediderit: à quâ sententiâ eum abfuisse, advocatis ejus verbis docet Matthiolus.

§. 29. Deserti ergò à Matthiolo, alios adeamus. Valerio Cordo p) persuasum est, *Morion* isthoc Dioscoridis esse *Mandragoram*

MANDRAGORA
VERA seu naturalis.

g) VI. Hist. Plant. 2. & IX. 9. & VI. de caus: plant. 4. h) IV 71. edit. Matthiol. i) XXV. 13. p. 155. ed. Dalech. k) XVII. Orig. 9. l) XVII. de propr. rer. 104. m) ed. Aldin. p. 132. n) IX. antiq. lect. 49. o) ad Theophr. f. 583. p) ad Diosc. f. 67.

goram Theophrasti, quam non viderit Dioscorides, sicuti nec Theophrastus priora duo genera Dioscoridis. Sed hanc sententiam impugnat Bodæus q) argumento, quòd Morion Dioscoridis folia ferat humi jacentia, & radicem ambientia, id quod producentibus caulem, præcipuè ferulaceum, qualis est (etiam Cordo teste) mandragora Theophrasti, non conveniat.

§. 30. Ipse ergò totam illam de Morio hoc narrationem, Dioscoridis suspectam habet, tum quòd in antiquis codicibus desideretur; tum quòd ejus mentionem nullam faciant Oribasius & Plinius. Censet autem Mandragoram Theophrasti esse *solanum furiosum* (ἡ πύχρον μανικόν) Dioscoridis, quòdque perinde sit, recentiorum Belladonnam.

§. 31. At videtur hæc jam esse Botanographorum communior sententia. Sanè peritissimus harum rerum Bauhinus in opere XL. annorum r) *Theophrasti Mandragoram Belladonnæ* synonymon facit, subque *solani* generibus locat, à communibus mandragoris secretam.

§. 32. Quare & nos tantorum virorum suffragiis fulti conficiamus hic tandem, *diversas esse Mandragoras Dioscoridis* (& aliorum opinor scriptorum vulgò omnium) à *Mandragora Theophrasti*, imperiteque Plinium, ut mox patebit, eas confudisse, quod solenne ejus in cæteris quoque *παράπλωμα* est. Nos, ne eandem reprehensionem incurramus, de distinctis distinctè agemus.

alia Dioscoridis.

§. 33. Præcedat *Mandragora Dioscoridis*. Nam & hoc nomen in officinis retinet, *maris* insuper & *femina* cognominibus distincta. Quam quoniam testatur Cordus à formâ descriptam à Dioscoride, quâ adhuc in Italiâ cognoscitur, ab eo maximè ejus historiam repetemus.

§. 34. Sic autem per interpretem loquitur Dioscorides: Duo ejus genera: *Niger*, quæ *femina* existimatur, *thridacias* appellatus, *angustioribus foliis ac minoribus*, quam *lactuca* (ἡ πιδάκος,) *viridis ac graveolentibus*, in terra sparsis: *mala gerit sorbis* (ἡ οἷς, pro quo malè quidam legerunt ὠῖς, ovis) *similia, pallida, odorata*, in quibus *semen veluti pyrorum: radicibus inhaeret benè magnis, binis* (hæc scilicet).

q) ad Theophr. f. 585. r) Theat. Botan. p. 166. 169.

scil. præstant Mandragoræ decantatam illam ἀνδροπομορφίαν) ternisve, inter se convolutis, nigris foris, intus albis (hinc Plinium emaculat Bodæus s) apud quem pro nigris foris legitur rufulis) crasso cortice vestitis: caulem non fert. Alter candidus, qui mas dicitur nonnullis Morion vocitatur. Hujus folia magna, alba, lata, levia, ut beta: mala quàm alterius duplo majora, colore in crocum inclinante, jucundè cum gravitate quadam olentia: quorum pomorum cibo aliquantum opiliones soporantur: radix alterius similis, major & candidior: orbata & hac caule. Hæc & plura de duobus illis Mandragoræ generibus Dioscorides. Nam tertium illud, viro docto suspectum, meritò negligimus.

§. 35. Consentiant cum his Pliniana ferè, nisi quod mala Mandragoræ mavult *avellanis nucibus* & folia *lapatho sativæ* comparare, quàm ut Dioscorides, *forbis* & *beta*. Garrit & quædam de *caulibus*, quos mandragoræ Theophrasti abscissos Dioscorideis apposuisse credas. Eos & *hirsutos* facit, cum neq; Theophrastus neq; Dioscorides de hirsutie verbum ullum: ut hoc sit ad alios referendum, quos præter Theophrastum & Dioscoridem inspexit. Sicuti & hoc, quod addit, album mandragoræ genus, ab aliis *hippophlomon* (præfert Bodæus *hippomoron*) vocari.

§. 36. Hæc de Mandragorâ Dioscoridis, quàm, (ut hoc addamus) *sapore insipido* se comperisse, Augustinus t) testatur.

§. 37. Theophrastus suæ inter *Φρυγανικὰ ναρθηκῶδη*; h. e. *suffrutices ferulaceas*, locum assignat, caulemq; qualis est ferulæ, tribuit; de cætero fructum nigrum, *acino urvæ similem*, (id enim Cordo u) & Bodæo x) sonat *ραγώδης*, non ut Gaza reddiderat, *racemosum*) & succo vinoso. Atq; hanc volunt esse *Belladonnam*, cujus plenior descriptio è recentioribus petatur, id enim hic non agimus.

alia Theophrasti.

§. 38. Neq; præterea quicquam haurias è Theophrasto y) de hæc mandragorâ, nisi quòd alibi superstitiosum in eâ excidendâ ritum deridet, quem postea Plinius ad mandragoram Diosco-

B 2

ridis

s) f. 584: ad Theophr. t) lib. XXII. contra Faust. c. 56. u) ad Diosc. f. 67: x) ad Theophr. f. 583. y) IX. Hist. plant. 9.

Vis Mandragorae soporifera. ridis detorsit; rursus alibi 2) vim ejus soporiferam, & si copiosior adhibeatur, mortiferam, obiter tangit.

§. 39. Non amittamus hic occasionem bene de Hesychio, si forte, merendi. Theophrasti, quibus id, quod modò dicebamus, enunciat, verba sunt: οἱ δ' ὑπνωτικοί, πλείους δὲ διδόμενοι καὶ θανατηφόροι. Hesychius: μανδραγόρας εἶδος βοτάνης ὑπνωτικὸν καὶ ὑπνωτὸν. Pro ὑπνωτὸν audacter rescribimus ὑπνωτικόν: ὑπνωτὸν enim dicerent Græci, non *soporiferum*, sed *soporabile*, aut *soporatum*. Ὀινικὸν verò quid sit, aut quomodo mandragoræ conveniat, aut ita conveniat, ut quasi pro definitione poni mereatur, non possumus comminisci. Veniebat in mentem οἰνώδες, hunc enim saporem fructui mandragoræ dat Theophrastus. Sed aliud fructus: aliud ipsa planta. Neq; de mandragorâ Theophrasti, sed Dioscoridis loqui Hesychium credibile est. Quid ergò, si Φοινικὸν, aut Φοινικὸν substituamus, ut sit, quod Theophrastus θανατηφόρον vocat?

§. 40. Neq; hic refert, quod Hesychium de Dioscoridis, non Theophrasti mandragora sumus interpretati. Nam & Dioscorides suam mandragoram moderatè potam soporis, largiter mortis conciliatricem esse docet. Nempe solent herbæ, quæ somnum provocant, somni quoq; fratrem propter τὸ ψυκτικόν, nimio sui usui invitare. Proximo ante mandragoram capite de Doryenio Dioscorides: δοκεῖ δὲ καὶ τὸ ὑπνωτικὸν εἶναι, πλεοναθεῖν δὲ ἀναίρετον. Præcesserant solam genera (sub quibus Theophrasti mandragoram esse supra a) dictum) quibus & ipsis ferè inter *venenum ac soporem*, ut de Mandragorâ Frontinus b) loquitur, *media vis* est.

§. 41. Liceat hoc loco de mandragoræ communis δλωάμει καρωτικῇ plura subnectere, quoniam ea hanc plantam sic nobilitavit, ut inde multi ejus descriptionem arcessant. Hesychii verba jam vidimus. Varinus: μανδραγόρα, βοτάνη ὑπνωτικὴ εἶδος ἰχθυόσας ἀνθ. ἀπυ. Suidas: μανδραγόρας, ὑπνωτικὸς καρπὸς, ἢ λήθης ποιητικός. Qui ibi absq; auctoris (ut solet Suidas) mentione sequitur, locus, Juliani est, epistolâ ad Callixenum, etiam Erasmo in Adagiis c) observatus.

§. 42.

2) VI. de caus. plant. 4. a) §. 30. 31. b) lib. II. Stratag. c. 5. c) Adag. 3464.

§. 42. Abiit enim res apud Græcos in proverbium, ut qui negotium negligenter admodum, quasiq; profundè dormiens tractaret, *Mandragoram* bibisse, (*μανδραγόραν πεπωκέσαι*) aut è potu *Mandragora* (non enim sub *Mandragorâ*, ut perperam Erasmus d) & Rhodiginus e), quiq; hos sequitur, Bodæus f) capiunt, cum id stirpis humilitas non patiatur) dormire (*ὑπὸ* vel *ἐκ* *μανδραγῶρος καθεύδειν*) diceretur. Quo de proverbio præter citatos legendus Henricus Stephanus g) qui & *pocula letheos somnos ducunt* apud Horatium h) de potu *mandragoræ* interpretatur, quod tamen, quoniam multa sunt *παροιμια*, necesse non erat.

§. 43. Interim de *mandragorâ* Medici affirmant, soporandi vim tantam illi inesse, ut ante sectiones unctionesq; (sic enim, nisi malis *perustiones*, scribere in Plinio præter Dioscoridem, qui *τὸ καλεῖται* Inter cum *τῶ τέμνειται* jungit, ipsa jubet ratio, pro *punctiones*: neq; dubium, quin hoc voluerit Dalechampius in margine: ubi tamen typographi vitio irrepsert *unctiones*) nesciantur, eam bibi conveniat. Quare & pervigiliis eam opponere jubent. Serenus Sammonicus i):

Nec non mandragoræ gustu sopor additur altus.

§. 44. Causam facultatis hypnoticæ discamus à Galeno, cujus è VII. simpl. med. verba profert Matthiolus k): *Mandragora vincentem habet facultatem refrigeratorem, aded, ut tertij sit ordinis refrigerantium. Veruntamen & caliditatis cujusdam particeps est, & in pomis humiditatis. Proinde soporem conciliandi vim ea habent.*

§. 45. Conciliant autem *olfactu* (id imprudenti sibi contigisse Lemnius l) commemorat) *esui, succo*. Neq; tamen solis pomis ea vis. Nam & *radix* in vino decocta, & injectus vino *cortex* radicis, quin & vinum *Mandragorâ medicatum* hoc præstant. Quod postremum nimio suo malo Afros & piratas Cilices expertos Polyænus m) memoriæ præditum reliquit, cum hos Cæsar, illos Amilcar (Frontinus n) *Maarbalem* nominat, Hannibalem alii) vi-

B 3

no

d) d. l. e) lib. IX. antiq. lect. c. 49. f) p. 584. ad Theophr.
g) lib. VI. sched. c. 6. h) Epod. 14. i) cap. agris somno adsciscendo.
k) ad Diosc. f. m. 1080. l) c. 2. herb. bibl. m) lib. V. & VIII. Stratag. p. m. 239. & 367. n) lib. II. Stratag. c. 5.

no ejusmodi inescatos, per quietem trucidandos curarent. Affine huic quod Plutarchus o) refert, nascentem juxta vitis mandragoram serpente in vinum virtute efficere, ut id vinum bibentes lenius dormiant. Succum mandragoræ tigridi immanissimæ, quæ catenis etiam vincita tutò tractari non posset, præberi oportuisse, (videlicet ut sopiretur) quoties aliò convehenda esset, Victorius p) prodidit. Deniq; neq; hoc prætermitemus, quod apud Dioscoridem legas, somnificam esse Mandragoram, etiam cum sedi pro balano immittitur.

§. 46. Rectè ergò Pierius q) eam somniculosi facit Hieroglyphicum: minus rectè etiam latiria. Neq; ipsi Xenophontis, quem citat, locus patrocinator, uti observavit Petrus la Seine r). Non enim Mandragoræ, sed vino lætitiæ imputat Xenophon vel iis verbis, quibus eum latinè loqui fecit Pierius. Qui ipse rectius alibi s) ex hoc eodem Xenophontis loco vitem lætitiæ symbolum constituit. Græca sunt hæc: ὁ δὲ οὖν ἀφ' ὧν τὰς ψυχὰς, τὰς μὲν λύπας, ὡς περὶ ὁ μανδραγόρας ἀνθρώπους, κοιμίζει, τὰς δὲ φουλοφροσύνας, ὡς περὶ ἔλαιον φλόγα, ἐγείρει.

Vis Mandragoræ circa Venerem.

§. 47. De vi caroticâ satis. Antequam hoc Caput finiamus, dissidium, quod est de Mandragoræ in rebus Venereis usu, non componere, sed inspicere libet. Multi mandragoram fœminis si concipere velint, proficuum: contrâ ea non pauci noxiam, proclamant, prout quisq; in disquisitione de Rubenicis ⲙⲏⲛⲏⲏ partibus adhæret. Hæc enim, nisi vehementer fallimur, litis hujus origo est unica. Sanè vix eam videas ab aliis disceptari, quàm qui super eâ voce digladiantur.

§. 48. Scilicet cum jam inolevisset opinio, appetitos Dudaim à Rachele in spem fœcunditatis: metui cœptum est, ne si mandragora nihil prodesset sterilibus, fatendum foret, Dudaim non esse mandragoras. Itaque summâ ope mandragoris hæc quoque laus asserta, easq; ob naturam impensè frigidam, ut huic negotio inimicas, damnantibus, insuperq; provocantibus ad Dioscoridem, qui eas menses & partus expellere scribit, responsum

o) de aud. Poet. p) lib. IV. Var. lect. c. 3. q) lib. LVIII. Hierogl. f. 420. 421. r) Nepenth. p. 91. s) lib. LIII. f. 388.

sum fuit, in frigidis humidisq; regionibus id valere, secus in Orientalibus aliisq; calentibus. Hic enim vitium torridi æstuantisqve eoq; sterilis uteri à Mandragorâ commodè emendari.

§. 49. Nos, sicut reliquarum in re medicâ Mandragoræ virtutum considerationem, ita & hujus controversiæ dijudicationem Dominis Medicis delegamus, præsertim quoniam, utracunqve obtineat opinio, nostræ de Dudaim sententiæ t) nihil decedit, qui putamus, Rachelis animum, ut eos desideraret, nihil minus quam vim medicatricem subiisse. Hoc interim suspectum est nobis, quòd videmus, Lemnium u), testatæ Medicum experientia, in eâ, quam defendit, opinione trepidanter agere, imprimis opere de occultis naturæ miraculis.

§. 50. Neque pro hac parte multum roboris habet, quod apud Hefychium Veneris cognomentum legitur, *μανδραγοειης* x). Id enim ad vim philtoricam mandragoræ, quæ longè apud Scriptores decantatior est, sequenti à nobis capite inspicienda, referri meretur.

§. 51. Unum hoc addimus, quod Glycæ a) debemus. Scribit is, non accedere Elephantum ad Venerem, nisi mandragoram degustet, sine hac enim nullam libidinem experiri. Quapropter fœminam sumptâ Mandragorâ vesci, eandemq; mari porrigere, hoc pacto ad consuetudinem veneream accedi. Fides sit penes harum rerum experientes. Glycas hæc ad τῶν πρωτοπλάτων *μηλοπαρὰδειαν* transfert. Multas fabulas circa naturam animalium studium allegorizandi peperit. Illis, ne sit hæc annumeranda, veremur.

CAPUT III.

§. 52. Diu nos expectat falsa mandragora. Huic quod reliquum est chartæ atqve otii dabimus. Neque in confutando operâ abutemur. Tam putidum ea commentum est, ut homini cordato persuaderi; rursus tot refertum superstitionibus, ut absq; manifestissimâ impietate in deliciis haberi non queat. Itaque omnis

MANDRAGORA FALSA seu artificialis.

t) §. 21. u) cap. 2. Herb. Bibl. & IV. de occult. c. 10. x) affert hoc Fuller. VI. miscell. 6. p. 708. a) Part. I. Annal. p. 72. 73.

Fabula ejus
expantur.

mnis nostra cura ferè in retexendâ ejus antiquitate (est enim mendacium neq; simplex, neq; recens) occupabitur. Sed prius totam fabulam ab ovo, quod ajunt, commemorabimus.

§. 53. Ex urinâ, quam homo innocenter ad suspendium, furti crimine damnatus inter extrema vitæ effuderit, herbam nasci ajunt sub patibulo, foliis latis, flore croceo, radice hominem examuffim simulante, pilis quoq; & ipsis sexuum notis apparentibus. Nonnulli adjiciunt, vitalem fuisse subterraneum hanc foetum. Radicibus Belgæ ab *urinâ furis* nomen indiderunt (Pisdiven b). Nostrî *Alrunam* vocant. Eam eruere rem esse plenissimam periculi: ab erutâ enim radice gemitum edi tam terribilem, ut audienti fossori moriendum sit è vestigio. Sed paratum esse remedium, cujus has afferunt ceremonias. Die Veneris ante Solis exortum auribus gossypio oppletis, ceraq; aut pice occlusis exire jubent, crucis figuram terno tripodis circumductu plantæ inscribere, tum circumfodere totam, sic ut terræ non nisi extremâ fibrâ obhareat; ita sollicitatam caudæ canis alligare funiculo, statimq; aufugere, frusto panis cani obverso: id illum appetentem nitendo radicem evellere, moxq; audito ejus ejulatu concidere mortuum. Hoc modo se ἀνθρώπων φόβος compotes factos mentiuntur nebulones, venduntque credulis, ut rem sanctam, carissimè. Nimirum possidentibus πολυφιλίαν, foecunditatem, divitias, (accepimus & ἀργυροτόκους fuisse tales ἀνθρώπους) futurorum prænotionem, breviter largum fortunæ favorem pollicentur. Sed esse rei tam beneficæ suum cultum tribuendum. Ergò vino eam lavare, sericeo panno candidi rubrique coloris involvere, in capsulâ condere, singulis noviluniis involucrum mutare, & hæc omnia conceptis verbis peragere fas esse, lædere vel minimâ ex parte nefas, & summi rem periculi c).

§. 54.

b) Boda ad Theophrast. p. 584. c) carptim hæc omnia congesta sunt è Kollenhag. glaubw. Zug. p. 271. Rotmar. c. 10. memor. ex Apoll. Rhod. p. 115. Matthiol. ad Dioscor. f. 1079. Myl. Hort. Phil. p. 519. Delr. IV. Disq. Mag. 2. q. 6. sect. 4. p. 547. & ad Cant. f. 402. Heidfeld. Sphing. c. 8. p. m. 246. Plura suggerent Crus. III. Sverv. f. 653. Mich. Majer. de voluc. arb. c. 13. p. 143. Hebenstreit. Daniele p. 55. & ibi in hypomnem. p. 86. Pictor. V. Philol. 16. Schera. SprachenSchul p. 263.

§. 54. Ad tam sceleratā Idolomanīæ historiā quis non exhorrescat Christianus? Deum immortalem! ubi fides? ubi metus Dei vindicis hoc idolum venerantibus? ubi frons hæc talia comminiscens? Est enim totum hoc è fallaciis partim Diaboli, partim hominum confarcinatum, uti jam aperietur.

§. 55. Libet initium ducere ab hominum fraude. Homunculi illi non isto sexuū discrimine prognati, sed ab interpolatoribus naturæ ita concinnati sunt. Mirum est Kimchium, Abenezram, Albertum Magnum (d) novissimeq; Pierium Valerianum (e) induci potuisse, ut crederent, sexuū illas differentias esse nativas. Neq; enim latuit fraus, usq; dum à Matthiolo (f) (ab hoc ferè mutantur recentiores) detegeretur, cum Bartholomæus Anglicus (g) Platearium (h) citet, qui jam suo tempore agnoverit, radicem à rusticis vel maleficis sophisticè sic formari.

Circà eam impostura hominum:

§. 56. Ita enim est. In arundinum, bryoniæ, mandragoræ veræ, aliarumvè plantarum radicibus adhuc virentibus sculptunt tam virorum quàm mulierum, quantum pote, exactas & omnibus integras membris formas, infixis hordei & milii granis, ubi pilos exoriri volunt. Sic enim sabulo ad dies circiter viginti obrutis quasi villi quidam enascuntur, quos ipsi cultellò scissos postea in capillorum & barbæ modum efformant. Hæc Marthiolo impostor, quem Romæ lue correptum Gallicâ curavit, falsus est. Fassi & apud nos alii coram iudice, & pœnas dederunt *).

§. 57. Venio ad mendacia Diaboli. Sic enim rectè appellavero, quicquid hæc in re superstitionis est reliquum. Quæ, ut autor ipse, non recentia sunt, sed suam habent antiquitatem: sicuti, quod hominum χειροτεχνία accessit, non esse nudius tertius inventum, æstimari è dictis potuit.

Superstition

§. 58. Ac nescio, an non vel Pythagoræ jam olim ἀνθρωπομορφον aliquid amplius quàm nativæ mandragoræ formam habuerit, ab eoq; religiosius, quàm à nostris pharmacopolis fuerit habi-

eaq; vetus

(d) ap. Delr. ad Cant. f. 402. (e) Lib. LVIII. Hieroglyph. f. 421. (f) ad Dioscor. f. 1079. (g) XVII. de propr. rer. 104. (h) is est Johannes Platearius Salernitanus, de quo vide Bibliothecas Medicorum. (*) teste Myl. Hort. Philos. p. 520.

habitum. Equidem peritum illum magiæ fuisse, dubitari vix potest. Sed rem ab altioribus principiis arcessemus.

§. 59. Certum est, ab ortu statim magiæ herbas incantamenti inservire coactas fuisse: in his eas maximè, quæ *narcoticæ* essent & *venenatæ*: has enim *Luna* volebant *Saturniæ*, imperio subjacere, quos Planetas Etzlerus (i) omnis *κακομαγίας* autores & præfides (Ethnico magis quam Christiano stylo) vocat. Inter *Lunaticas* autem *Mandragora*.

§. 60. Hac ergo magos quoque vetustissimos abusos vel inde scimus, quod nomina duo, quibus eam Zoroastres appellavit, ad nos pervenerunt. Ea cum totâ nube synonymorum, quorum pleraque cap. I. omisimus, liceat hic apponere, ex anonymo, quisquis est, qui illa Capitibus Dioscoridis præposuit: οἱ δὲ κίρκαιον οἱ δὲ ξηράνη οἱ δὲ ἀντίμιον οἱ δὲ ἀνέμιον οἱ δὲ βομβόχυλον οἱ δὲ μίνον αἰγύπτιοι ἀπεμῆμ. πυθαγόρας ἀνθρωπόμορφον οἱ δὲ ἀλοίτιω οἱ δὲ φειδακίαν οἱ δὲ κάμμαρον. ζωόασεις διάμορον ἢ ἀρχίνην. θεωρεῖται ἡμίονος. οἱ δὲ γυνογέωνας. ρωμαῖοι μάλα κανίνα. οἱ δὲ μάλα τερρέτες (legendum τερρέτρια.)

§. 61. Jam huic vim amoris conciliandi tribuisse priscos Dioscoridis hæc verba docent: οἱ δὲ διερχαίαν, οἱ δὲ κισκαίαν καλῶσιν ἐπειδὴ δοκεῖ ἢ ῥίζα φίλτρων εἶναι ποιητικῆ. Hinc Veneri cognomen *Mandragoritis* factum supra (k) sumus augurati.

§. 62. Neque dubium ab eadem origine esse, quod crediderunt, inter operam effodiendæ *mandragoræ* de venereis rebus liberaliter tinnendum esse, secus herbam nihil proficere. Damus in hanc rem verba Theophrasti (l); simul, ut reliquas prisce seculi effodientium ineptias, hodiernis non absimiles cognoscamus: περιγράφει δὲ τὸν μανδραγόραν εἰς τρεῖς ξίφει. τέμνειν δὲ πρὸς ἰσπίραν βλέποντα. τὸν δ' ἕτερον κύκλῳ περιορχεῖται, καὶ λέγειν ὡς πλείστα περὶ ἀφροδισίων. Plinius (m) rem sic exequitur: Cavent effossuri contrarium ventum, & TRIBUS CIRCULIS ante gladio circumscribunt: postea fodiunt ad occasum spectantes.

§. 63

i) Isagog. Physico-magico-med. sub Lunaticis in Mandragoræ.
(k) §. 50. (l) lib. IX. de hist. plant. c. 9. (m) Lib. XXV, c. 13.

§. 63. Hæc sunt præclara illa scilicet mandragoricæ superstitionis incunabula, ab Ethnicis, à magis, à servis Diaboli repetitæ, perq; Papatum transeuntis, rumore ad nos usque propagato. Credibile est inolitam semel superstitionem à verâ sive Theophrasti, sive Dioscoridis mandragorâ ad fictitiam perrepsisse, impostoribus hanc occasionem ex alienâ credulitate ditescendi minimè spernendam ratis.

§. 64. Quæ suprâ hæc ad augendam rei horribilem venerationem adjecta sunt mendacia, facile & illa exempli à veterioribus ἀδολεσχίαις accepti convincemus. Vix enim quicquam in illis reperias, quod non ante de herba Prometheâ, cynocephaliâ, hyoscyamo, cynospasto, herbâ Baaras, atq; aliis (n) ad inagiam opportunis, veris, fictis, vanissimè jactaverint vani homines, quod jam antè nos ab aliis, quos passim citamus, per particulas observatum fuit: ut in *Akruna* colluviem variorum Satanæ ludibriorum detestari liceat. Nos omisâ applicatione rem nudè recensebimus.

Et velut in
cumulum
collecta è su-
perstitione,
circa

§. 65. Herba *Promethea* nomen inde factum fabulantur, quòd è SANIE Promethei (quem FURTI REUM Jupiter Caucasò alligaverit,) stillante in terram, cum jecur ejus aquila rostro laniaret, enata fuerit, flore CROCEO, GEMINO caule, radice, quæ CARNEM recenter incisam repræsentet. Hanc Apollonius Rhodius (n) & Valerius Flaccus (o) canunt effodisse NOCTU Medeam, quâ postea Jasonem adversus tauros igivomos armarret: cum effoderet, Prometheum ipsum sic GEMUISSE, ut totus mons contremisceret.

herbam Pro-
metheam,

§. 66. *Cynocephaliam* herbam, quæ in Ægypto vocetur, *Ostrides*, Apion apud Plinium (p) prodidit, si quis eruerit, STALTIM MORI.

*Cynocephali-
am*

§. 67. De *Hyoscyamo* Ælianus (q): *Hyoscyamum* & ὀπὸν *Hyoscyamū* (Gesnerus ibi suspicatur papaveris fruticem, ex quo opium colligitur, vel stirpem opocarpasi intelligi) collecturi CIRCUMFODIUNT,

C 2

ita

(n) Huc refer, quæ è Zabiorum doctrinâ Moses Maim. Part. III. More neb. c. 29. p. 425. profert de arbore, cujus radix habeat formam humanam & vocem vehementem, &c. (n) III. Argon. p. m. 141. (o) VII. Argon, v. 356. seqq. (p) lib. XXX, c. 2. (q) IX. de animal. 32.

ita ut commoveant LUXENTq, radices, NON SUIIS tamen ipsi manibus evellunt, sed volucrem aliquam altero crure alligant herba, quam illa deinde irrequieto suo motu evellit.

Cynospastum,

§. 68. Propius accedunt, quæ idem Auctor (r) de Cynospasto (quasi canivulsum diceret) seu Aglaophotide annotavit, primum, qui ejus natura imperitus eam attigerit, PERISSE. CANEM igitur juvenem adduci diei spacio famelicum, & funiculum validum ad inferiorem herba stipitem vinctum cani etiam alligari, & carnes assas multas ei obijci à recedentibus interim quàm longissimè: canem nidore motum, cum impetu ad carnes ferri & herbam radicibus eruere: cujus radices, ubi sol viderit, canem mox expirare.

herbam Baaras.

§. 69. Geminum fere in modum herba Baaras (Zonaras) Baar, Glyxæ (t) Bataritis, Fulgoso (u), & qui eum sequitur Gaudentio Merulæ(x) perperâ Brabra vocatur: vocabulum ab hebr. Baar, ardere deduxit Gesnerus (y) ἄποπασιν Josephus describit, ut ex eo integram narrationem repetere supervacaneum sit. Ei debitas lineas alia interim ad reliqua de hâc herba præsentia occupabunt.

§. 70. Etenim memorant Josephus (z) & Zonaras, eam si quis natali solò suâ manu eximere cupiat: tandiu refugere, neq, prius sisti (ὑποφύγει καὶ ἔσθ' ἄρα τῶν ἰσχυρῶν) quàm URINA muliebri aut menstruo perfundatur. Id video Forerum (a) & Stengelium (b) de fugâ, qualis est agitata canibus feræ, intellexisse. Quorum ille propterea herbam hanc nomine solo herbam, re ipsâ animal esse opinatur; hic mirificos nobis ludos facit, pessimâ fide Josephum, (hunc enim legisse videri vult) repræsentans: Cum foditur, inquit, fugit, & tam velociter, ut sapè visum effugiat, quare ut fodienda obtineatur, necessarium est, ut circumcirca fossa profunda fiat, ne diffugiat. Apage istum interpretandi autoris morem! Felicius Fulgosus, & Rollenhagius. Hic (c): Sie verleuret sich/und bleib nicht ehe/dann bis man/x. Ille: aliter enim contra vellentem niti, seq, in contrarium

(r) XIV. de animal. 27. (s) Tom. I. Annal. circa fin. (t) part. IV. annal. p. 388. (u) I. mem. 6. (x) IV. memor. 26. (y) p. 15. de Lunar. z) VII. de bell. Jud. c. 25. a) Viridar. Philos. p. 130. b) Part. I, Herrens. p. 360. 361. c) glaubw. Zug. p. 272.

retrahere videtur. Ex his duobus eligat quisq; quod aptissimum Josepho putaverit.

§. 71. Revertimur ad nostram *Alrunam*: cujus inveniendis superstitionibus copiosam herbarum messem collegimus. Restat tamen adhuc post messem tenue spicilegium.

§. 72. Quod enim è *suspensi* hominis innocentis urina sub patibulo cret cere eam finxerunt, *ὀμόφρων* est aliis artis nefariæ instrumentis, quæ ab ipsis *suspensorum* corporibus, è ligno item patibuli decerpere mancipia sua jubet Satanæ.

§. 73. *Urina* autem vocabulo suspiceris fabulæ hujus auctores ejusmodi urinam innuere voluisse, è quâ *Orioni* nomen indidit mendax Græcia. Etsi enim, quocunq; sensu eam vocem interpertere, mendacium pellucet, est tamen alterum ad fidem à simplicioribus aucupandam magis idoneum.

§. 74. *Crucis* signaturâ ferè nullum est incantamenti genus, quod non abutatur inter Pseudochristianos. Quo minus mirandum est, ad *Alrunæ* quoq; effossionem eam valere creditam. *Ternam repetitionem* jam olim Gentilibus usurpatam fuisse, nota res est. Horum & *tripus* fuit, maximè ab *ἑγγασεμύθοις* usurpatus.

§. 75. Jam quod *Canis* præcipuè adhiberi jussus fuit, qui pro homine *ὠστρεῖς ἀνιδόθεις*, ut loquitur Josephus, moreretur, ne id quidem ab Ethnicâ vanitate dissonat. *Cane in piaculis ferè omnes usi sunt Græci, utunturq; in hunc usq; diem.* Plutarchi (d) verba sunt) eo pro piaculari hostiâ nonnulli, *Hecatæq; inter alia purgamenta etiam catuli offeruntur.*

§. 76. Deniq; quod crediderunt *Alrunæ* operâ benevolentiam hominum pellici, non longè abit ab illa virtute *philtricâ*, quam veteres ipsi tribuisse supra (e) patuit. Ut ad *fecunditatem* prodesse crederent, facile quis è malè intellectâ *Rachelis* historiâ ortum dixerit (f). Nam quod *Stuckius* (g) non vetetur ipsam *Rachelem* philti Ethnico modo rituq; usurpati insimulare, præterquam, quod sanctissimæ *foeminae* insignem facit injuriam, ipse

quid

d) *Qu. Rom. 58.* e) §. 50. f) *repete §. 21. 47.* g) *Antiq. conviv. f. 333.*

Alia super-
stitionis
nota.



quid loquatur, haud satis intelligit. Non enim Rachel, sed sola
Lea philtro indigebat.

S. 77. Satis opinor de re superstitiosissimâ fecimus verbo-
rum. Deltio (h) virunculum mandragoreum nactus laceravit,
brachia avulsi, totum concremavit. Utinam hæc scriptio nostra
opis aliquid conferat ad evellendum animis hominum hujus mon-
stri venerationem!

h) *Disq. mag. p. 547.*

COROLLARIA.

1. Pandectæ absq; solocismo genere foeminino u-
surpari possunt.

2. Prædicatum hujus propositionis: *In verbis, her-
bis, & lapidibus est magna virtus: non tribuitur æqualiter
subjectis.*

3. Signum crucis nullam habet efficaciam.

4. Diabolus non creat.

5. Corpora cælestia non influunt in voluntatem
hominis.

6. Plantarum in Arborem, Fruticem, suffruticem,
divisio non est generis in species.

7. In Plantis non est sexus propriè dictus.

8. Ex urinâ Lycis non magis nascitur Lyncurius,
quàm mandragora ex urinâ suspensi furis.

9. Fures jure suspenduntur.

F I N I S.

COROLLARIA

F I N I S



DD A 6358

ULB Halle 3
002 920 387




Sb.

Reho ✓ 1077

511 R





m m m m m
H m m m m m





D. S.
DE
MANDRAGORA
DISPUTATIO PHILO-
LOGICA,

SUPERIORIBUS INDULGENTIBUS,
PRÆSIDIUM VERO CONFERENTE

V I R O

EXCELLENTISSIMO CLARISSIMOQUE
DN. M. JACOBO THOMASIO,

PROFESSORE PUBLICO CELEBER-
RIMO &c. PRÆCEPTORE
suo Jugiter colendo,

Ipsis Natalitiis suis, d. nimirum XIX. Ca-
lend. Januar. A. O. R.
M DC LV.

Examini Eruditorum commissa

à

JOHANNE SCHMIDELIO, LIPS:
MAGISTERII CAND.

Nunc recusa & aucta Anno M DC LXIX.
Typis & sumptibus JOHANNIS GEORGI.